

Divisio

consciens. §. 5. *Priori respectu (sic enim b. l. sumimus)*
Conscientia est principium actionum, quatenus est
quasi præco quidam legis naturalis aut divinæ, atq;
homini proponit & suggerit, quid legibus illis consen-
taneum sit vel dissentaneum, aut in universum quid
fieri vel non fieri in vitâ debeat, unde Damascenus con-
scientiam appellat legem intellectûs. §. 6. *Conscientia ve-*
rò est vel Recta, vel Probabilis, vel Erronea, vel Dubia,
vel Scrupulosa. §. 7. *Conscientia recta est, quæ id facien-*
dum aut omittendum dicat, quod faciendum aut omit-
tendum omninò est, sive quod cum jure divino aut huma-
no certò & indubitato consentit vel pugnat. §. 8. *Consci-*
entia errans seu erronea est, cujus judicium à jure divino
aut humano dissentit, sive quæ id judicat faciendum vel
omittendum, quod faciendum aut omittendum non erat.
§. 9. *Conscientia probabilis est, cujus judicium est proba-*
bile. Convenit hæc cum Rectâ, quod rectè judicat; sed dif-
fert ab eâ, quia certitudinem non habet, ut illa. Aliàs vo-
catur conscientia Opinativa. §. 10. *Conscientia Dubia*
est, cum quis dubitat & nescit, utri parti contradictionis
assentiendum sit: Et quisquis conscientia dubia aliquid a-
git, ille omninò peccat. §. 11. *Postremò Conscientia Sciu-*
pulosa appellatur, cum statuitur aliquid licitum esse, sed
ita tamen, ut sit scrupulus aliquis. Scrupulus ille vel est
rationabilis vel irrationabilis. Si rationabilis, rectè fece-
rit ille, qui ejus rationem habuerit, etsi ad id propriè non

ob-